



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Chosrois machina, mundi gubernationem exprimens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

visuam & oculum supernaturalem, quo supernaturalia mysteria videre, ac, velut aquila, ipsam possit solis flagrantiam sustinere.

Pfal. 12. Talem vim perebat Propheta, cum diceret: *Illumina oculos meos:*

Pfal. 42. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam: Bonus est tu: & in bonitate*

Pfal. 118. *tua, doce me iustificationes tuas:* cum quo utique fas est, etiam alij

idem lumen petere, eoq; impetrato, tanquam perspicilijs quibusdam cælestibus, cælestis sapientiæ consilia tutò indagare: neque enim tunc altiora se quærit; quæreret, si sine altiore lumine tentaret. Sic Icarus cecidit, Dædalus volauit; hic quia intra suos se limites tenuit; ille, quia altiùs iuit, quàm cera posset ferre,

## C A P V T V.

*Scientia, & Iustitia fundamenta, quibus omnium diuinorum Iudiciorum æquitas explicatur.*

I.  
Cedren. ad  
an. Heraclij  
13.



**N** Cedreno legimus, vanum illum & impium Choroem Persarum Regem, vt sua se se, velut ventosus Æolus, in aula iactaret, statuisse sibi, in palatio, eiusmodi simulachrum. Machina erat, in qua cæli effigies exprimebatur. Hinc Sol ab ortu purpureum Mundo diem inferebat: ex aduersum ei loco Luna horizonte iam semitecta occidebat. Inferiore parte fabricæ, ad dexteram quidem, clarissimis cælum stellis lucebat; ad sinistram autem, sublato siderum aspectu, imbres fluere, præmicare fulgura, & quodammodo tonitrua mugire videbantur. Neque astrorum tantum fulgor, in cælestibus illis sphaeris, sed etiam omnium orbium cõuersiones, cum sceptrigeris Angelis astantibus, admirabili spectaculo, se se oculis intuentium offerebant. In medio ipse rex Choroës, quasi quidam humanus Deus eminens, spectabat omnia, & ne quid spectanti deesset, se quoque ipsum magnificè circumspiciebat. Talia sibi Persica vanitas finxit, in palatio; arroganter imitata id, quod verè gloriosèque Deus fecit, in Mundo. Lignum illud erat opus, sicut & Archimedis sphaera vitreum, vtrumque mimicum, sed significatione non ineruditum.

II.

Etenim hoc planè pacto, Vniuersi author, non inani iactantiâ, sed, ad æuiternam opificis gloriam, Mundum hunc fabricauit. Sunt in eo sidera, fulget Sol, nitet Luna, micant stellæ, ornantur immen-